Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

superbit terra et cinis. Quintum vero est, consideratio occulti inspectoris. Quomodo enim qui saepius confessionem fecerit, alicui super sermonibus quos arrogantius locutus est, si forte contingat ut postea simile aliquid loquens, illum videat audientem, valde confunditur: ita qui considerat occultum inspectorem, cui cogitatio hominis confitetur: non poterit non erubescere, si elatum aliquid meditetur. Propterea non solum contra superbiam, sed et contra vitia universa, valde utile est homini semper videre dominum videntem se, et sic attendere oculos eius in corde suo, ac si haec sola cura sit deo contemplari quid agat ipse, quid deliberet, quid meditetur.

Quomodo voluntas nostra divinae voluntati debet esse subiecta in quo perfecta consistit humilitas.

Audistis fratres modo in regula lectionem de humilitate, cui ego quotiens legitur: toto animo vos intentos esse desidero. Insipiens enim est, etiam et insanus, quicumque malis vitae meritis, quicumque in alia religione seu sapientia, non sola in humilitate confidit. Apud dominum fratres ius habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes. Sed nec fallere eum. Ipse enim novit abscondita cordis, quanto magis opera manifesta. Utique nec resistere viribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat nisi ad humilitatis remedium tota mente confugere, et quicquid in aliis minus habemus de ea supplere. Sed o mira vanitas, o mira fatuitas cordis nostri, cuius elationem perfecte reprimere, cuius cervicosos motus, animo domare humilitatis materia tanta non sufficit.

PORRO humilitatis summa in eo mihi videtur consistere, si voluntas nostra divinae ut dignum est, omnino subiecta sit voluntati, sicut ait propheta: Nonne deo subiecta erit anima mea. Scio quidem creaturam velit nolit subiectam esse creatori, sed a creatura racionali voluntaria subiectio queritur, ut voluntarie sacrificet domino et confiteatur nomini eius, non quia sanctum et terribile, non quia omnipotens, sed quoniam bonum est. At vero subiectionem istam triplicem esse necesse est, ut quod certum est deum velle, id nos velimus omnino, et quod certum est nolle, similiter execremus et nos. Quod autem incertum est, utrum velit an nolit, neque velimus ex toto neque penitus non velimus.